



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[a]e Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

7. Quam Beneficarii praesentiam Canones decretaque postulent, vt  
disributiones quas vocant, quotidianas sibi possint acquirere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14007**



animarum habentem, absque legitima causa, & facultate à sua Ecclesia abesse, tunc nulla est citatio, ac monitione opus, sed ob euidenciam facti, beneficium eius potest ab ordinario alteri conferri tanquam vacans, & in hoc locum habet decretum *cap. Extirpanda*, sancitum. Item, cum manifestum fuerit, Parochum suum beneficium pro derelicto habere, ordinarius habet ius alteri conferendi, non solum ratione absentiae, sed etiam quia pro derelicto habet: vt, si absens uxorem ducat, vel aliam Parochialem Ecclesiam accipiat, vel miles effectus in bello pugnet. *Glossa in cap. ult. de Cleric. non resid.* Et quamuis in his casibus beneficiarius non sit ipso facto priuatus beneficio: iure tamen priuatus censetur, quia propter facti euidenciam, potest ordinarius alteri beneficium dare, ac si citatus, & monitus fuisset. Quando vero dubitatur, aut non constat, legitimenè Parochus absit, aut ambigitur iustenè impeditus sit, quo minus ad suam Ecclesiam redeat, tunc prius est admonendus, vt reuertatur, quam sua Ecclesia priuetur: Et hoc modo intelliguntur iura citata *extir. de Cleric. non resid.*

Quinto quaeritur, An Parochus, sine legitima facultate absens prius citari debeat, quam sua Ecclesia priuetur? An sitis sit, si moneatur? In hac etiam parte videntur iura sibi inuicem aduersari. Nam in *c. Extirpanda, de Cleric. non resid.* dicitur: *Qui se fraudulentè absentauerint, nec ad ipsos valeat citatio peruenire, vna citationis editum facias publicari: Et si nec sic curauerint obedire, & ultra sex menses suos deseruerint Ecclesias, iuxta sanctiones Canonicas eis debent merito spoliari.* At in *cap. Clericos, & cap. Inter quatuor*, solum dicitur: Beneficiarios absentes, si moniti, vel expectati non redierint, & iuste impediti non sint, suis Ecclesiis priuari debent. Respondeo cum Abbate, beneficiarium abientem, cum ignoratur, vbi gentium, vel locorum commoretur, esse citandum, *iuxta id quod habetur in d. cap. extirpanda*: At vero cum scitur, quoniam Beneficiarius à sua Ecclesia recesserit, tunc satis est, si moneatur, vt constet, legitime nec ne absit, & iuste nec ne sit impeditus: & sic intelliguntur cetera iura, quae monitionem tantum requirunt, non citationem.

Sexto quaeritur, An Beneficiarius absque iusta causa ac facultate absens, & nec per se, nec per alium suae Ecclesiae inseruiens, iure communi ante Concilium Tridentinum, fructus quos absens perceperat, restituere debet? Certum est atque exploratum, quod & supra ex Concilio Tridentino animaduerti, episcopos, Parochos & ceteros curam animarum habentes, si absint, fructus minime lucrati: Ij vero, qui dignitatem, vel Canonicatum, vel portiones in Ecclesiis Cathedralibus habent, officio ordinariorum priuari debent fructibus beneficiorum.

Sed in eo tota quaestio versatur, An iuxta antiquiores Canones, & iura, omnes in vniuersum beneficiarii, si contra ius à suis Ecclesiis abessent, fructus beneficiorum, dum absentes erant, amitterent, ac eos deberent restituere? Quidam id affirmant. Sic videtur Calderinus sensisse in *cap. 1. de celeb. Missa*, cuius sententiam secutus est Angelus in *verb. (Clericus) 7. num. 4. Gabr. 4. distinct. 15. q. 8. art. 2. conclus. 3. At illa verb. beneficium num. 88. ex Antonino par. 3. tit. 5. cap. 1. eo vnicò ducti argumento, quod quidquid ob causam datur, ea non secuta, tuto quis apud se retinere non potest, vt colligitur *videtur ex toto titulo, ff. de condit. causa data, & ex cap. ult. de refer. in 6.* sed beneficium propter officium, laborem, & operam datur, *cap. ult. de rescrip. in 6.* ergo si Beneficiarius absit, & suo munere, & officio non fungatur, fructus amittit. At Syluester in *verbo (Clericus) 4. q. 23. Rosel. eod. verb. n. 23.* & alii, sentiunt, absentem Beneficiarium fructus perceptos in absentia, minime ad restituendum cogi ante iudicis sententiam. Quorum sententia videtur esse probabilis: nam iure communi nusquam legitime hanc poenam ante iudicis sententiam soluendam, & poenae restringi debent, non laxari. Imò quidam addunt, quamuis concedamus iuxta id quod habetur in *cap. Extirpanda, §. Qui vero, de prob.* Parochos ob absentiam contra ius suis Ecclesiis esse priuatos, non continuo cogimur fa-*

teri, eos fructus interim perceptos, ab illis esse restituendos: nam etsi priuati sint iure, proprietate, & dominio beneficii, fructus tamen perceptos retinent cura conscientia, quouque ordinariorum auctoritate beneficiis spoliuntur.

Mihi tamen hoc vltimum non placet: nam cum quis ipso iure priuatus est beneficio, fructus non facit suos, vt postea inferius dicam, *cap. 16. q. 2.*

Magis probò id, quod Panormitanus in *c. 1. de celeb. Missa*, sensit, primam opinionem esse quidem tutiorem, sed nimis rigidam, nec eam sequitur Cardinalis: quia nullo iure probatur, talem beneficiarium non esse iure ipso priuatum beneficio, nec ad dimitendum illud, nec ad restituendum fructus obligari, antequam iudicis sententia condemnatur. Et quamuis Ecclesiae suae priuatus non seruiat: seruiat tamen Ecclesiae vniuersali, vel diuini officii preces horarias recitando, vel aliter in ordine Clericorum inseruiendo. Item, beneficium non datur simpliciter solum propter officium, sed etiam vt Clericus in partem Domini assumptus, ex Domini patrimonio viuat, & non mendicet: quod indecorum eius status & conditioni maxime est, *cap. Diaconi dist. 93. & cap. 2. de preben. & secundum leges, & iura*, quod acceptum est ob causam, debet restitui, si causa secuta non fuerit, & sit tota causa, ob quam datum est. Atqui non est tota causa, ob quam beneficium conferatur, vt Clericus in sua Ecclesia commoretur: nam sunt quoque aliae causae, nimirum, vt ex bonis Ecclesiae viuat, & non mendicet, vt paulo ante diximus: vt preces horarias recitet: vt Missae sacrificium offerat, vel sacerdoti offerenti in altari inseruiat: vel denique, vt tanquam Clericus in Ecclesia vniuersali militet. *Hac ex Panormitano, & Syluestro.*

#### C A P. VII.

Quam beneficiarii praesentiam Canones decretaeque possulent, vt distributiones quas vocant, quotidianas sibi possit acquirere.

DE distributionibus quotidianis tractant Doctores *de licet, de prob. & c. de careo, de Cler. non resid. & c. 1. de Cleric. non resid. in sexto, Couar. lib. 3. Var. resolu. c. 13.*

Primo quaeritur, Quidnam Canones, & iura intelligant nomine distributionum quotidianarum? De hac quaestione Parisius *consil. 31. num. 1. volum. 4. Oledra. consil. 140. Boerius decis. 17.* Respondeo, eas portiones intelligere, quae debeantur quotidie Clericis beneficiariis, eo quod stans horis illi intersint officii diuinis. Vnde, quia non solum sunt portiones, quae singulis dari quotidie consueuerunt, sed quia in singulis diuiduntur, qui stans horis diurnis, & nocturnis praesentes diuinis officii intersunt: ideo distributiones quotidianae vocantur, hoc est, portiones, quae pro certarum horarum varietate in singulis quotidie distribuuntur. Verbi gratia, qui interest sacrificio Missae, certam sibi fructuum portionem lucratur: qui matutinis, aut vespertinis officiis, qui debitis eidem aliis horis Ecclesiae inseruit, certam aliam portionem acquirit: vt *Glossa c. 1. de Cler. non resid.*

Harum distributionum sit mentio in *cap. licet, de prob. & c. vt non doceat, & c. ult. de elect. in sexto, & c. 1. de Cler. non resid. eodem libro, & plenius in Extrauag. Cum nonnullae de preben. inter communes.* Et teste eadem Glossa, huiusmodi distributiones quodammodo in quibusdam Ecclesiis dicuntur Manualia beneficia, vt vocari videntur in *cap. Olim, de verbo, signif. in aliis locis appellatur victualia, vt nominantur in cap. de catero, de Cleric. non resid.* Praeterea alicubi consistunt in iis, quae pertinent ad cibum, & potum, vt in pane, in vino, in oleo, alicubi in pecunia, alibi vero in certi frumenti mensuris.

Secundo quaeritur, An Canones, & decreta, appellatio- ne fructuum, qui ex beneficio percipiuntur, distributiones quotidianas intelligant? Constans est omnium iuris



Pontificij interpretum opinio, ut patet ex *Covar. loco citato, n. 1.* Fructuum, vel praebedae nomine, non accipi distributiones quotidianas in iure communi, vel Constitutionibus, siue literis Apostolicis, vel in Regalis Cancellaria. Quo fit, ut Clericus, qui Papa privilegio à sua Ecclesia abiens, potest sibi fructus beneficii lucrari, nullum ius in distributionibus quotidianis acquirat, *Glossa in c. ult. de Magist. c. 1. de priuil. in sexto in verbo, integre.* Item, cui absentis, siue à iure, siue à Papa, siue ab Ordinatione beneficii fructus conceduntur, non eo ipso concessi creduntur distributiones quotidianae, ut constat ex *c. Licet, de praeben. c. de catero. c. cum dilectus, de Cleric. non residen.* Item, cui conceditur facultas, ut absens, tantumdem ex beneficio sibi acquirat, quantum lucrificaret, si praesens adesset, & quantum lucrari solent ceteri, qui resident, non intelligitur esse concessum, ut lucrificari distributiones quotidianas. Vnde *respo. Glo. in c. 1. de Cler. non resid. in 6. ijs,* qui Bononiae in litteris studio operam collocant, privilegium est datum, ut absentes, beneficii fructus acquirant, & tamen eoripso non est concessum ut distributiones lucrificarent. Nam distributiones non eo ipso quo Clerici resident, sibi lucrantur, sed quo praesentes diuinis officijs, statim horis intertinent. *c. 1. de Cleric. non resid. in 6.* Cum priuatur quis ob delictum fructibus beneficii, non intelligitur priuatus distributionibus. Cum itidem cogitur qui priuatur ex beneficio, vel praebenda soluere, nihil ex distributionibus debet. Cum pensio similiter in aliquo beneficio constituitur, ea minime intelligitur in distributionibus imposita cum beneficio fructus reddidit distributionibus separatis, nisi Papa id expresserit: beneficium igitur, vel praebenda praeuenitque à distributionibus quotidianis distinguitur. Ita ut beneficii fructus sint anni quidam redditus, qui ex certis bonis Ecclesiae percipi solent, distributiones vero sunt portiones dari solitae Beneficiarijs, eo quod diuinis officijs statim praesentes intertinent.

Aliquando tamen totum beneficium in quotidianis distributionibus consistit, ita ut Beneficiarius nullos alios prouentus annuos percipiat, nisi quos sibi lucratur ex hoc, quod in ecclesia certis horis suum munus, & officium implet. Et tunc, ut colligitur ex *Glo. loc. cit.* nomine distributionum ipsum Beneficium intelligitur: alioqui beneficium, siue praebenda, & fructus b. vlls esse.

Tertio quaeritur, Quor sint genera distributionum? Respondeo, cum *Henrico c. cum omnes, de consue. c. Gloss. in pragmat. Sancti. tit. quo quisque tempore debeat esse in choro, verb. distributiones,* tria esse genera. Nam in quibusdam ecclesijs, non sunt Canonici siue praebendae distinctae, sed sunt omnia bona communia, & singulis quibusque diebus dantur cuilibet Canonico residenti, siue diuinis officijs adsit ille, siue absit, certa mensura panis & vini ad victum quotidianum, & certa pecunia ad vestitum, & haec portiones sunt potius praebendae, & beneficia quam distributiones, & ideo debentur ijs, qui commorantur, & resident in Ecclesia, non autem ijs, qui absunt, sicuti debentur ipsi fructus, nisi consuetudo, statutum, vel privilegium Ecclesiae aliter habuerit. Nam vsu, vel statuto, vel privilegio fieri potest, ut absentes quoque lucrari faciat, sicuti & fructus. Et hoc sensu intelligitur, quod habetur in *c. Olim de verb. signif. ut Hosti. c. Ioan. Andr. annotarunt.* In alijs Ecclesijs praebendae sunt distinctae, & praeterea est mensura communis, ex qua dantur distributiones quotidianae etiam illis, qui diuinis officijs absunt, dummodo in ecclesia resident: & aliquando more vel statuto non dantur, nisi ijs, qui saltem, vel matutinis precibus, vel vespertinis, vel Missae sacrificio praesentes fuerint: & de his distributionibus idem iuris est, quod de superioribus, & de ipsis etiam intelligitur, quod dicitur in *c. Olim de verb. signif. ut doctores Archid. c. 1. de Cler. non resid. in 6. & Host. in summa c. de Magistri. §. vlt.* Aliae sunt distributiones quotidianae, quae quotidie dantur ijs, qui diuinis officijs praesentes adfuerint, & haec sunt proprie distributiones quotidianae, de

quibus Canones & decreta loquuntur.

Quarto quaeritur, An appellatione distributionum quotidianarum comprehendantur portiones funerales, quae vocari solent Anniversaria, & diuiduntur in singulos Beneficiarios, qui exequijs & ceteris Officijs pro mortuis fieri solitis intertinent? *Lap. allegations 34. & 36. Card. in Clemen. ut hi, qui de a. a. & qualis.* negant intelligi. Alij vero affirmant. Certe, ut Ioannes Andreas, & Dominicus docuerunt in *c. 1. de Cler. non resid. in 6.* quamuis nomine distributionum quotidianarum non intelligantur, eodem tamen iure & privilegio gaudent, quo distributiones, unde non debentur absentibus etiam si ratione privilegij fructus beneficii percipiant: nec debentur residentibus, nisi funeri, exequijs, & alijs officijs diuinis intertinent.

Quomodo cumque haec se habeant, Bonifacius VIII. in *c. Consuetudinem, de Cler. non resid. in 6. ad finem* sic ait: *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis idem decernimus obseruandum. hoc est, ut Glo. declarat, eos qui funeri exequijs anniversariis praesentes non sunt, eiusmodi distributionum nihil sibi lucrari, tamen si consuetudo contrarium induceret, quoniam eo consuetudo, ut corruptela abrogatur. Solet certa pecuniae quantitas, aut certa mensura panis vel vini, aut cerei diuidi in Beneficiarios, qui intertinent, vel cum funus effertur deferuntur, vel cum mortuo iusta soluuntur, vel cum septimo, aut trigesimo die ab obitu alicuius facta sunt.*

Quinto quaeritur, Quibusnam distributiones quotidianae debeantur? Respondeo in *c. 1. de Cler. non resid. in 6.* consuetudinem damnari, qua distributiones quotidianae Beneficiarijs residentibus tribuuntur, quamuis diuinis officijs, quibus debent horis, non intertinent. Vnde Bonifacius VIII. *Statuimus,* inquit, *ut distributiones ipsae quoque quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, Canonici, ac alij Beneficiarij, & Clerici Ecclesiarum ipsarum, qui visum Ecclesiae adfuerint, tribuantur, iuxta Ecclesiae cuiuslibet ordinationem rationabilem tam factam seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus suis quidquam receperit, exceptis illis, quos in firmitate seu iustitia & rationabilis corporalis necessitate, aut eadem Ecclesiae utilitas excusaret, nisi se receptarum dotum non acquirat, nec faciat eas suas: immo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi nostram Constitutionem receperit, tenentur. Haec ibi.* Vnde percipitur, non esse idem, Beneficium in sua Ecclesia residente, seu praesentem esse, quod diuinis officijs intertente. Nam qui in oppido, castro, vel loco, ubi est beneficium, assidue commoratur, tamquam in sua ecclesia resident, siue praesens habetur: & tamen si statim horis absit ab officijs diuinis, distributiones quotidianas sibi non lucratur. Deinde ex eodem capite intelligitur, aliquas consuetudines in Canoniceorum Collegijs inuectas condemnari: talis est consuetudo *respo. Nauarro consi. 8. de Cler. non resid.* qua aliqui ex Canoniceis per vnam hebdomadam ecclesiae inseruientes lucrificiant non solum distributiones, quae illa hebdomada seruientibus dantur, sed etiam illas, quae diebus alijs hebdomadae dari solent, in quibus tamen ipsi à diuinis officijs absunt. At quidam huiusmodi consuetudinem approbat, eo quod est in utilitatem ecclesiae: nam ubi talis est consuetudo, alliciuntur Canonice ad inseruiendum Ecclesiae. Verum nisi Summi Pontificis auctoritate approbetur, admittenda non est.

Quares, An licita sit consuetudo, qua Canonice vita functo debentur tum distributiones quotidianae, quae anno proximo sequenti dantur, tum fructus, qui eodem anno percipi solent? Respondeo, consuetudinem quidem, qua in vsu eius Canonice fructus primi anni dantur, licite admitti posse, non tamen vsu, quo distributiones quotidianae conferuntur. *Ioan. Andr. Ancharan. Geminianus, & alij c. 1. de Cler. non resid. in 6.*

Quares secundo, An sit improbanda consuetudo, qua Canonice ex loco vnde obierat, reuersus, per triduum vel biduum distributiones quotidianas lucratur, etiam



iam si à diuinis officijs, sic absens, tanquam defessus ex labore itineris? Archidiaconus hanc improbat consuetudinem. *cap. x. de Cleric. non resid. in 6.* At Ioan. Monachus ibidem eam probat: tum quia post liborem pauper est quiete dimittitur quia Papa, inquit, solum damnat consuetudines, quibus Canonici absentes, continentur. (vt Patet verbis vtrius) distributiones quotidianas lucratiunt, non tamen eas consuetudines, quibus ad paucos dies, vel breue tempus absentes beneficiarij, distributiones lucrantur: eodem modo interpretatur Pontificis mentem Lopus *allegat. 36.* Sed probabilis est, quod Archidiaconus tradidit, dummodo tamen sic intelligatur. Aut enim Canonici redit ex loco, in quem abierat, ob agenda ipsius Ecclesie negotia, aut ex loco quo se conuoluit ob priuatas suas res vel commoda. Si primum, probanda est consuetudo, quia distributiones lucratur absens triduum, vel biduum, postquam redierit, quoniam cum labor tanus sit, vt quiete indigeat. Ecclesie negotia adhuc agere videatur Canonici, qui illas ex itinere, triduo, vel biduo sine domi quiete. Si secundum, consuetudo probanda non est, quia sui tantum commodi causa, iter suscipit, ac facit.

Quæres tertio, An sit probanda consuetudo illa, qua Canonici recens creati, ad aliquos paucos dies absentes distributiones lucrantur, item & illa, qua etiam presens diuinis officijs nihil sibi acquirit? Solent Canonici statuto decernere, vt dimidia pars Canonico, altera hebdomadis in teris diuinis officijs, & tunc in Canonici, qui interest in hebdomada sibi non competenti, nihil distributionibus lucratur. Respondeo, primam consuetudinem iure esse improbam, secundam non item: quia licet ius constituat, vt distributiones dentur ijs, qui officia obeunt diuina, non tamen usum illum damnat, quo ijs, qui statis horis intersunt aliqua ex causa denegantur, quia tenues aliquando sunt distributiones.

Sexto quaeritur, An consuetudine possit induci, vt qui resideat, siue presentes sunt in loco, ubi est beneficium, distributiones quotidianas lucrantur, licet diuinis officijs ad tempus breue non intersint? Talis est consuetudo, qua Canonici in quibusdam Ecclesijs Collegiatis, qui quotidie diuinis intersunt, possunt tribus mensibus per singulos annos quietis gratia abesse, & nihilominus lucrari distributiones etiam tribus illis mensibus, quibus absunt animi relaxandi gratia. Non dissimilis ea etiam est consuetudo, qua Canonici, qui nocte iugunt, & matutinis precibus intersunt, lucratiunt distributiones, quæ dari solent ijs, qui intersunt diuinis officijs in reliquis diuinis horis, nec tamen nocturnis precibus intersuerunt. Lopus *allegat. 16* talem consuetudinem dictam affirmat in iure posse. Nam Constitutionem Bonifacij VIII. videtur ille in eligere de ea consuetudine, qua distributiones quotidianas diuiduntur in Beneficiarios perpetuo absentes à diuinis officijs, non autem de ea consuetudine, qua Beneficiarij ad paucos dies ex aliqua causa absentes à diuinis officijs, distributiones lucrantur: quo etiam modo Ioan. Monachus Pontificum illud decretum est interpretatus. Quidam ingiores moti auctoritate Lapi, & Ioan. Monachi, dicunt prædictas consuetudines licitas esse etiam post Concilium Tridentinum, quia sunt in utilitatem Ecclesiarum. Sic enim Canonici licentius Ecclesijs intersunt. Probabilis alij putant oppositum. Nam Bonifacius VIII. damnat vniuersè quamuis consuetudinem, qua distributiones dantur Beneficiarijs, qui absunt ab officijs diuinis: nam cum tres eas suscipiat, ceteras omnes improbat, & damnasse videtur. Quam Constitutionem Tridentina Synodus inuoluit *sess. 24. c. 11. de reform.* his verbis, [Distributiones vero, qui statis horis intersunt, recipiunt, reliqui vero careant iuxta Bonifacij VIII. decretum, quod incipit: *Consuetudinem*: quod Synodus in vsum reuocat, non obstantibus quibuscumque statutijs & consuetudinibus.]

Sepimo quaeritur, Ab quando omnes redditus annui beneficij in distributionibus quotidianis consistunt, eas

lucrentur Beneficiarij, qui presentes quidem sunt in loco ubi est beneficium, sed diuinis officijs non intersunt? Glossa *in c. Consuetudinem. De Cleric. non resid. in 6.* docet prædictam Bonifacij VIII. Constitutionem locum duntaxat habere in ijs distributionibus, quæ seorsum diuise sunt à fructibus beneficij; non autem in his, in quibus vniuersi proventus beneficij consistunt: nam hæc distributiones ipsam beneficium constituunt: ita vt beneficium nihil aliud sit, nisi ius percipiendi eas distributiones: quippe quod nullos alios redditus aut fructus reddit; ac proinde huiusmodi distributiones debentur omnibus Beneficiarijs eo ipso, quod resident, imo etiam ijs qui privilegio, vel quavis alia facultate legitima, sibi fructus, quamuis absentes acquirunt; quos alias acquirerent, si adessent. In alijs vero distributionibus, quæ à fructibus beneficij seunctæ ac separatæ sunt, locum habet Bonifacij decretum, quia sunt simpliciter distributiones, eo quod beneficium præter eas, fructus ac redditus annuos habeat.

Octauo quaeritur, An distributiones quas Canonici amittunt ob absentiam à diuinis officijs, accrescant cæteris, qui intersunt? Glossa *communis consensu approbata, in Clem. V. q. i. de arat. & qual. & Clem. Quoniam. De vita & honesta. Clericor. sentit eas cæteris accrescere. At in Concilio Tridentino *sess. 22. c. 3. de reform.* videtur constitutum, vt distributiones amittat ob aliquorum absentiam, etrogenit in usum fabricæ Ecclesie, vel loci causa communis pietatis extructi. Nauarrus *traç. de hoc Canon. c. 22. nu. 50 quem sequitur Sarmen. de visitat. lib. 1. c. 15. nu. 23.* ait, distributiones partim esse ordinarias, partim extraordinarias.*

Ordinarias appellat, quæ constituuntur ex communibus beneficium fructibus, diuidendæ in eos, qui statis horis sunt in Ecclesia presentes, & hæc distributiones cæteris beneficiarijs accrescunt. Extraordinariæ sunt, quæ ex priuatis redditibus certæ alicuius dignitatis, Canonici, vel præbendæ extrahuntur, vel quæ instituuntur ex certis bonis alicuius hominis priuati, vt diuidantur in eos, qui statis horis in Ecclesia seruiunt; aliquando enim sunt distributiones sic institutæ, vt certa pecunia quantitas detur Præposito, alia Diacono, alia Archidiacono, alia Thesaurario, alia ei, qui statutijs diebus sacrum fecerit, alia vero, Matutinum, vel vespertinum officium in choro, solemnitate inchoanti. Et hæc, inquit Nauarrus, distributiones ob Clericorum absentiam amittit, cæteris qui intersunt non accrescunt, sed conuerti debent in usum fabricæ Ecclesie, vel in usum alicuius hospitalis domus. Piaset mihi sententia Nauarrus, vel fortassis Concilium *sess. 22. cap. 3.* locum habet in distributionibus, quas amittunt Canonici, quia non intersunt hæc vel illa hora diuinis officijs, accrescunt cæteris, qui intersunt illis eisdem horis. Covarruias *lib. 3. var. resol. cap. 13. num. 7.* docet, quoties nullus Canonici, vel Beneficiarius, statis horis, diuinis officijs intererit, distributiones in ipsius Ecclesie usus esse impendendas. Idem, inquit, iuris est, quando certa & definita quantitas debetur cuius Beneficiario, qui in Ecclesia debitis horis seruerit. At quando distributiones sic sunt institutæ, vt diuidi debeant inter eos, qui intersunt, seruata proportione, tunc ob aliquorum absentiam amittit, cæteris accrescunt. v. g. Si Ecclesie statuto dicatur inter eos qui certis horis intersunt officijs diuinis, certum diuidantur, tunc in his distributionibus est ius accrescendi. Secus vero est, si dicatur; ei qui intersuerit, dentur quatuor; ei, qui sacrum fecerit, quinque.

Quidquid sit, Concilium Tridentinum sic habet: *Episcopi etiam tamquam delegati Apostolici, ex fructibus & proventibus quibuscumque omnium dignitatum, Personarum & officiorum, in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis existentium tertiam partem in distributiones, eorum arbitrio assignandas, diuidere possunt: ut scilicet, qui eas obtinent, si personalius competens sibi seruatum, iuxta formam, ab eisdem Epi-*



*scopus praescribendam, quolibet de statu non implerent, illius autem distributionem amittant, nec eius quomodo dominum acquirant, sed fabrica Ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarij applicetur.*

Ex quibus verbis perspicitur, Concilij Decretum locum habere in ijs distributionibus, quae deinceps ab Episcopis, tanquam Papae delegatis instituentur ex fructibus beneficiorum: decernitque Concilium, ne in his locus sit iuri accrescendi, ita ut distributiones ob aliquorum absentiam amittantur, ipsi Ecclesiae, vel pijs locis addicat. Potest enim Papa vel Generale Concilium in distributionibus quotidianis accrescendi ius abrogare, & eas, cum ob absentiam Beneficiorum amittuntur, in usus alios pios convertere. Quo fit, ut si Canonicus tuta conscientia distributiones in absentia perceptas sibi retineat, cui Papa concessit, ut certam pecuniae quantitatem in usus Camerae Apostolicae soluat, & sibi retineat, quidquid absens ex distributionibus quotidianis percipit.

Nono quaeritur, An Canonici absentes tuta conscientia distributiones retinere queant, si eas ipsis ceteri remittant, & donent? Respondet Glossa in c. 1. de verb. signif. c. 1. de Cleric. non resid. in 6. posse: quia huiusmodi distributionibus his, qui intereunt, accrescunt: ergo quisque potest liberaliter donare partem sibi accrescentem. Ceterum Concil. Trident. sessio. 24. cap. 12. de reformat. constituit, ut huiusmodi donatio nullus esset momenti. Verba Concilij sunt: *Distributiones vero, qui statu horis intersuerint, recipiant: reliqui quavis collusionis, aut remissione exclusa, his careant.*

Quarta, An licite possint eas distributiones recipere, si postquam restituerunt alijs, quibus accreuerunt, ab eis sponte sua donantibus acceperint, Navarrus loco cit. distinguit: Aut pacto inter Canonicos fuit, ut absentes restituant praesentibus, quibus accreuerint, & postea praesentes eas sibi restitutas iterum donent absentibus: & tunc non licet absentibus eas sibi donatas accipere, quia pactum manifestum in fraudem legis inierunt, & quia donatio profusa est ficta & simulata. Aut sine illo pacto, vi, vel metu praesentes Canonici distributiones sibi restitutas, & iam acquisitas liberaliter absentibus donant, & tunc possunt absentes eas tuto recipere, quia Concilium Trident. non dixit, simpliciter quavis donatione exclusa, sed quavis collusionis & remissione. ac remissio est, cum creditor debitorem a soluendo liberat: remittimus enim, cum debitum nobis soluendum condonamus.

Decimo quaeritur, Ex quibus causis Beneficij absentes licite possint distributiones quotidianas acquirere? Respondet, ex tribus duntaxat expressis in cap. Consuetudinem de Cleric. non resid. in 6. videlicet si infirmitas Canonici aut iusta & naturalis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excuset. Corporis necessitas tunc ius appellatam, qua Canonicus videtur, aut aliquo alio modo impeditur, quo minus ad Ecclesiam se conferat, si valetudinis gratia medicamentum sumpserit, quo corpus expurget. Quaes, An licita sit consuetudo, quia Archidiaconus quando ratione sui muneris & officij Ecclesias inuisit, distributiones lucratur, ac si in Ecclesia interesset? Respondet, licitam esse, quia est vna ex causis exceptis, nimirum evidens Ecclesiae utilitas.

Vndecimo quaeritur, An Canonicus infirmus, qui alioqui cum bene valet, diuinis officijs tempore statuto interesse non solet, distributiones acquirat? Respondet, ex communi sententia Doctorum in cap. 1. de Cleric. non resid. in 6. minime, quia morbus causa non est, ob quam in Ecclesia officium suum non praestet, siquidem quo tempore bene valet, in Ecclesia inferuire non solet. Exemplum sit, si quis Canonicus Bononiae aegrotasset, alioqui recte valens, non solus in Ecclesia adesse, nequit tuto distributiones accipere. Sed quid si Canonicus, qui alioqui suum munus in Ecclesia obire consueverat, sua culpa in morbum incidit, aut vulnus acceperit, aut in carcerem coniectus fuerit? Respondet Couarruias lib. 3. var. resolut. c. 13. num. 8.

*vesic. septimo quotidiana, cum posse tuta conscientia distributiones acquirere, etiam in morbum sua culpa lapsum: nam infirmitas etiam ex culpa contracta impedit, quo minus praesens in Ecclesia sit, ac proinde iustam habet absentiae excusationem. Idemque iudicandum, si ex culpa sua vulnus acceperit. De Canonico vero in carcerem detulso, respondet idem Couarruias: si contra ius ac fas est in carcerem missus, ei distributiones debentur, quando carcer in eodem est oppido, ubi Canonicus beneficium habet: nam per inuicem impeditur, quo minus in Ecclesia suo munere fungatur. Si vero in carcerem iure deturditur, distributiones ei non debentur: nam Pontifex in praedicto Decreto infirmitatem generatim, non carcerem excepit. Rogabis, an debeantur distributiones Canonico ob seditionem, vel factiones, vel inimicitias ab oppido, ubi beneficium obtinet, expulso, aut in oppidum ob factiones se recipere recuanti? Respondet: Si contra ius, vel per iniuriam eicitur, ei distributiones debentur: & idem iuris est, si iniuriam meritis, in oppidum se referre renuat. Secus est, si sua, aut suorum culpa, vel ex oppido eicitur, vel in oppidum aditus, vel reditus denegatur.*

Duodecimo quaeritur, An distributiones debeantur Canonico iam senio confecto, ac ob id impedito, quo minus diuinis officijs quibus debet horis, intereunt? Quidam negant, quia in capite supra citato solum excipitur infirmitas, ut iuste absentiam excusans: senium autem non est infirmitas. Alij vero affirmant, distributiones ei deberi, eo quod senium, licet non sit infirmitas, est tamen iusta & rationabilis corporis necessitas: & haec opinio est verior, quando Canonicus ita senio conficitur, ut domo egressus, ad Ecclesiam ire commode non possit, qui alioqui reliquo suae aetatis tempore ire consueverat, iusto enim impedimento detinetur, ne scilicet e domo exitus corpori & valetudini noceat.

Decimotercio quaeritur, An distributiones duplicatae debeantur ei, qui in eadem Ecclesia licite dignitatem & Canonicatum habet? Ioan. And. c. 1. de Cler. non resid. in 6. sensit deberi, nisi contrarium sit in aliqua ecclesia vltu receptum: atque se hoc consilium dedisse, velut cum quis in Ecclesia Florentina creatus est Thesaurarius, & deinde Canonicatum obtinuit. Pro hac sententia facit Bart. in l. si Consul. ff. de Adoptione ita dicens: *Quando munera & officia non sunt contraria, ea simul habere quis potest, ita ut vnus & idem duorum vice & munere fungatur. Quare, inquit, si testator instituerit, ut centum dentur Senatoribus alicuius oppidi, & deinde reliquas quinquaginta donanda Titio, vni ex illis Senatoribus: ipse Titius prae portione sibi tanquam Senatori debitam, quinquaginta simul obtinebit. Hanc sententiam sequitur Abbas & Felinus in cap. Cum olim. de sent. & re iudic. Bald. eodem c. Cum olim. Card. consil. 53. & probat, quia in l. Titus. §. qui Marco. ff. de ann. leg. habetur: Si legentur libertis annua alimenta, & Marco centum, debentur Marco alimenta annua, & simul centum, si Marcus libertus sit item, quia si quis sit simul Archidiaconus & Canonicus in eadem Ecclesia, duplicem vocem in electionibus habet, ut colligitur ex c. Cum olim. supra citato & ibidem docent Abb. Felin. & alij cum Glossa. Haec sententia est communis, ut testatur Felinus, cap. Cum olim. de sent. & re iudic. Ceterum oppositum senserunt Rochus Curtius, in cap. vlt. de consuet. Anton. in c. Cum olim. de sent. & re iudic. Gomez. in tract. de expectatiuis, n. 54. Primam sententiam dicit esse veriore. Couarr. li. 4. var. resolut. c. 13. num. 6. saltem cum res sit dubia, eo locum habet, praesertim ubi fuerit vsu recepta. Alijs magis placet secunda sententia: nam distributiones non debentur, aut dantur ratione beneficij, sed praesentiae, muneris & officij, quod quis in Ecclesia faciat: at vaus & idem licet duo beneficia in eadem ecclesia simul obtineat, duo tamen munera & officia simul non obit.*

Decimoquarto quaeritur, An quando Canonicus abest ob euidencem ipsius ecclesiae utilitatem, tuta consci-



entia lucrificat distributiones, ac si stas horis adesse, officijs diuinis? Quæstionem hanc mouet id, quod habetur in *c. sepe citato, Consuetudinem*: ubi tanquam iusta causa absentiam excusans, adfertur euadens utilitas Ecclesie: sed in *v. Cum non doceat, de Elect. in 6.* oppositum videtur esse constitutum. Glo. hæc duo iura conciliat hoc modo: Aut distributiones dantur Canonico absentibus ab ijs, qui interfunt, & eas licite Canonici retinet: & de hoc sermo est in *c. Consuetudinem*. Aut non dantur, & tunc eas Canonici absens tuta conscientia non accipit, & hoc est, quod dicitur in *c. Cum non doceat*. Sed probabilis est quod alij: ut Ioan. Andr. in *r. 1. de Cler. non resi. in 6.* ad propositæ solutionem quæstionis tradiderunt, ita distinguentes: Aut de more, eam ob causam distributiones absentibus Canonico debentur, aut non debentur. Si primum, tuto eas Canonici obtinet, hanc enim consuetudinem approbat Pontifex in *c. ita Consuetudinem*, si secundum, tunc ei distributiones non debentur: & hoc est, quod insinuat in *c. Cum non doceat*. Vnde Archid. *c. 1. de Cler. non resi. in 6.* ait, consuetudinem non esse improbandam, qua Canonici, cum absunt pro negotijs suarum Ecclesiarum utiliter agendis, quotidianas distributiones lucrantur, ac diuinis off. intereant.

Decimo quinto quæritur, Quid Synodus Tridentina statuerit de quibusdam Canonici in absentia distributiones lucrantibus. Respondeo *sess. 24. c. 8. de Reform. constitut.* esse, ut Canonici, qui in singulis Cathedralibus Ecclesijs, ubi id fieri commode potest, institui debet iuxta formulam à concilio ibi præscriptam ad excipiendas penitentium confessiones, distributiones lucrificat, dum in ecclesia penitentium confessiones audit, perinde, ac si stas horis adesse in choro. Item *sess. 22. c. 3. de reform. decernit Synodus: ut si alicui ex his, qui habent dignitates in Ecclesijs Cathedralibus, vel collegialibus, iure, vel consuetudine, iurisdictione, administratione, vel officium non competat, seu extra ciuitatem in diocesi cura animarum imminet, cuius, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curam ecclesie residerit, ac ministraverit, tanquam presens sit, ac diuinis intersit, in Ecclesijs Cathedralibus, ac Collegialibus, habeatur. Hæc in ijs tantum Ecclesijs constituta intelligantur, in quibus nulla est consuetudo, vel statutum, ut dicta dignitates non seruientes aliquid amittant, quod ad tertiam partem dictorum fructuum, & proventuum ascendat: non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus, & constitutionibus, etiam iuramento, & quauis auctoritate firmatis. Hæc ibi.*

Decimo sexto quæritur, An ad lucrificandas distributiones, opus sit, ut Canonici non solum in choro stas horis intersint, sed etiam ut vna cum alijs preces horarias decantent. Hanc quæstionem supra diluimus, cum de horis Canonici ageremus.

Decimo septimo quæritur, An Collegium Canonico-rum sine Episcopo possit statuta condere de distributionibus eerta ratione & modo diuidendis? Respondeo, posse, quando nihil contra episcopi iurisdictionem, aut contra ius commune constituitur. *Francus in c. Consuetudinem §. statutus, n. 2. de Clericis non resi. in 6.*

### CAP. VIII.

#### Quid iuris habeant Beneficij in suorum beneficiorum fructibus.

Illud præmittendum; grauem & difficilem esse quæstionem de iure, quod habeat Beneficij in fructibus, quos colligunt ex suis beneficijs. Et in primis quæritur, An Beneficij sint vere & proprie, ac simpliciter domini, An vero potius usufructuarij, An vsuarij in fructibus, quos ex beneficijs percipiunt? Nauarrus edidit libellum de Redditibus Ecclesiasticis, in tres quæstiones præcipue distributionibus: ubi tandem multis concludit, Beneficij non esse dominos fructuum suorum beneficiorum, nec usufructu-

arios, sed tantum vsuarios, quibus licet solum accipere, quod est sibi necessarium ad victum contra Nauarrum sententiam, libellum postea Franciscus Sarmientus scripsit, quatuor in partes diuisum: ubi conatur ostendere, beneficiarios dominium simpliciter habere fructuum, quos ex suis beneficijs quotannis percipiunt. Idem Nauarrus deinde in sua sententia defensionem, contra Sarmientum Apologiam vulgavit. Tandem Antonius Marfilus Coldenensis, Salernitanus Archiepiscopus tractatum concipit, quo Sarmienti opinionem confirmat, & Nauarrum sententiam confutat. Tractat Redoanus in *opus. de spol. eccl. q. 3. de potestate circa fructus & res Ecclesie Clericis concess.*

Sciendum est, in hac controuersia, appellatione Domini intelligi liberam facultatem, qua quis suo nomine & auctoritate de re sua statuere potest quidquid ipse voluerit, sive in vita, sive in morte. Vnde licet secundum Ius ciuile, dominium proprie non sit nisi in reb. coporatis: præsentem tamen loco, ubi quæritur, habeant nec ne Clerici dominium fructuum, quos ex beneficijs in annos singulos capiunt, dominium accipiunt pro quasi dominio, hoc est, pro iure, quod Beneficiarius habet in suo beneficio, quod inter res corporis expertes habetur: & usufructus intelligitur in præsentem quæstione ius, quod habet Clericus vtendi in vita, non in morte solum, fructibus beneficij sive in suos, sive in alios, salua ipsius beneficij substantia. Vfus vero accipitur pro iure, quod habet Beneficiarius in vita tantum, non in morte, vtendi ipsius beneficij fructibus, sui tantum commodi gratia, non aliter, saluo quoque & integro ipso beneficio. Et ideo quæstio est, An Beneficij in fructibus suorum beneficiorum comparentur usufructuarijs, an vsuarijs tantum?

His positis. In præsentem controuersia Sarmientus in suo libello, par. 2. c. 8. viginti sententias recensuit: Sed plus, quam par est, eas multiplicauit, cum ad quatuor duntaxat, vel tres, aut etiam duas commode reuocari queant.

Prima igitur sententia est quorundam afferentium, beneficiarios non esse simpliciter dominos, vel usufructuarios in vita, sed vsuarios tantum, hoc est, nihil tuta conscientia ex fructibus beneficiorum posse retinere ultra id, quod est necessarium ad commodam ipsorum sustentationem, & quidquid superat, in vsus pios, sive in vsus pauperum, erogare debere, quod nisi fecerint, eos lethali iniuria crimine & scelere obstringi, furtum committere, & ad restituendum secundum conscientiam compelli. Sic Archidiaconus in *cap. Statutum §. Assessorum, de Rescript. in 6. & capit. Episcopus p. 12. quæstio. 1. & distinct. 44. in principio*. Sic etiam Gloss. in *cap. vlt. de Pecul. Cleric. & in cap. Quia nos, de Testam.* Hanc opinionem secutos fuisse triginta quatuor Auctores, refert Antonius Marfilus. Sed meo iudicio eam secuti sunt Alexander par. 3. quæst. 56. numer. 5. quæstio. 2. & 3. Palud. in 4. distinct. 24. quæst. 3. art. 4. ad finem. Pelag. de Planctu Eccl. cap. 28. Henricus Quodlib. 81. quæst. 27. Richard. quarto distinct. 45. art. 3. qua. 1. Maior. in quarto. distinct. 24. quæst. 17. B. Antonin. 3. par. sit. 15. cap. 1. §. 19. Angelus verb. Clericus 3. num. 1. & 4. Rosel. verb. Restitutio 14. nu. 6. & 7. Armil. in verb. beneficium num. 41. & verb. Clericus n. 55. & 56. Petrus Sotus de Inst. Sacerdo par. 2. de rit. Sacerd. lect. 5. de bonis Ecclesiarum usu. ¶ al. 10. l. 4. c. 42. & seqq. & hi inter Theologos. Inter Iuris vero Canonici Doctores Innocentius, Ioannes Andreas, Calderinus, Antonius, Abbas, Ancharanus, Dominicus, Francus, Apud Antonium, Marfilium: Et apud Redoanum tract. de spol. ecclesiast. q. 3. versiculo, ex prædictis habes. Et testibus Antonio Marfillo, & Sarmiento par. 2. capit. 1. Iason, Barbarius, Decius, aiunt, eam esse communem sententiam. Immo Archidiaconus affirmat in capitul. statutum §. Assessorum, de rescript. in 6. quem citat Zabarella in capit. vlt. de pecul. Clericor. esse hæreticum, in Iure Canonico contrarium assertere: hanc sententiam acriter defendit Nauarrus, supra citatis.

Altera sententia est afferentium Beneficij fructuum benefici-